

Imbuit irrorans: sacræ circum undique lauri
 Emisere novas frondes, baccasque tumentes:
 Aetias festis demulcent cantibus auras
 Laurigeræ volucrum turmæ: per prata citato
 Discurrunt armenta gradu, & cum matribus agni
 Lanigeris, & villosis cum matribus hædi
 Dant hilares saltus, insuetaque gaudia miscent.
 Quid Satyri, Faunique rudes? Quid Oreades, atque
 Frondenti Dryades præcinctæ tempora fert? .
 Aonidum quid docta cohors? Tremit incita densas
 Tellus ad choreas: confusis arduus æther
 Vocibus, & plausu resonat, fidibusque canoris.
 Arcadiæ extremis ad sacrum e finibus antrum
 Convenere duces pecudum, pecorumque magistri,
 Assuetique solum ferro exercere bubulci.
 Huic plectrum, huic septem imparibus compacta cicutis
 Fistula dat sonitus festos: nemus omne resultat
 Carminibus, rupesque cavæ, umbrosique recessus,
 Antraque pulsa sonant, exceptaque carmina reddunt.
 Plæbe pater, (nam tanta tuo sine numine in arvis
 Exorta Arcadicis quis gaudia credat, & omnem
 Te sine laurigeram cantu fremere undique silvam?)
 Tu mihi tu densam ex oculis age discute nubem,
 Et causas tanti fremitus evolve latentes.
 Sed quid ego Phæbum frustra moror? Aureus imo
 Prorumpens late effundit se fulgor ab antro:
 Fas illuc inferre gradus: audacia in ipsum
 Immensi jubaris fas lumina figere fontem.
 Fallor? an Euthymii saxoso e pariete vultus
 Aurata in tabula pendet? Namque inde coruscum
 Emicat, & tanto jubar omnia lumine complet.
 Proh superi! Haud equidem fallor. Radiantia nosco
 Numinis ora novi, & frontem, vultusque nitentes.
 Illum olim aetias cum priuum ad luminis auras
 Alma parens tenerum felici emisit ab alvo,
 Excepere manu nivea, & fovere calenti

Ad-